

PROGYMNASMA EXIMIO MAGISTRO IOHANNI ØRBERGIO SACRVM

IOSEPHVS MARIA MAESTRE MAESTRE

Ex capitulo decimo libri a Iohanne H. Ørbergio conscripti, cui index *Lingua Latina per se illustrata. Pars I. Familia Romana* est, Iosephus Maria Maestre, professor cathedrarius Universitatis Studiorum Gaditanae, anno 2010 [Progymnasma](#) confecit in memoriam eximii magistri Iohannis Ørbergii. Is autem *Progymnasma* una cum commentatione Hispanice conscripta denuo in lucem edidit ad celebrandum cum annum centesimum, ex quo vir ille Danus natus est, tum diem Romae conditae (21/04/2020), quod totum in pagina retiali [Societatis Studiorum Latinorum](#), cuius professor Maestre praeses est, evolvere vobis licet. Nunc enim hoc opusculum, quod ante oculos habetis, Alexandra Ramos Maldonado ad formam libri *LLPSI. Pars I. Familia Romana* (Montella: [Edizioni Accademia Vivarium Novum](#), 2010) accommodavit, id est, lineolas supra vocales longas, litteras, versuum numeros, colores, annotationes et imagines horum librorum addidit et in pagina retiali [Salis Musarum](#) edidit ad Ørbergii memoriam et pro gratiis agendis *utrique magistro*.

Capitulum decimum libri, cui titulus *Lingua Latina per se illustrata. Pars I. Familia Romana* est, auctore Iohanne H. Ørbergio (pp. 73-74)

CAP. X

Mārcus autem nīdum reperit et Quīntum vocat:
“Venī, Quīnte! In hāc arbore nīdus est.” Accurrit Quīntus.

Mārcus: “Age! Ascende in arborem, Quīnte!”

95 Quīntus in arborem ascendit; iam is suprā Mārcum
in arbore est. Mārcus ipse in arborem ascendere nōn
audet!

Mārcus interrogat: “Quot sunt ōva in nīdō?”


Quīntus: “Nūlla ōva, sed quattuor pullī.”

100 Nīdus est in parvō rāmō. Rāmus quī nīdum sustinet
nōn crassus, sed tenuis est. Rāmus tenuis Quīntum
sustinere nōn potest, is enim puer crassus est. Ecce rāmus
cum puerō et nīdō et pullīs ad terram cadit!

ūna arbor - duae arborēs



rāmus, -ī m



CAP. X



est sunt : *esse*
neque enim = *nōn* enim
facere = *agere*



Mārcus perterritus est



lectus

Quintus ā Iūliō portātur
Aemilia Quīntum ā Iūliō
portārī videt

Quintus in lectō pōnitur
Aemilia Quīntum in lectō
pōnī aspīcit

Mārcus Quīntum ad terram cadere videt. Rīdetne
Mārcus? Nōn rīdet. Mārcus enim perterritus est. Iam 105
Quīntus et pullī quattuor sub arbore iacent. Neque puer
neque pullī se movent. Pullī mortuī sunt. Quīntusne
mortuus est? Nōn est. Quīntus enim spīrat. Quī spīrat
mortuus esse nōn potest. Sed Mārcus eum spīrāre nōn
videt, neque enim anima vidērī potest. 110

Quid facit Mārcus? Mārcus perterritus ad vīllam
currit et magnā vōce clāmat: “Age! Venī, pater!”

Iūlius puerum vocāre audit et exit in hortum. Pater
fīlium perterritum ad sē accurrere videt eumque interrogat:
“Quid est, Mārce?” 115

Mārcus: “Quīntus...est... mortuus!”

Iūlius: “Quid? mortuus? Ō deī bonī!”

Pater, ipse perterritus, cum Mārco ad Quīntum currit.
Iūlia quoque accurrit cum cane suā. Quīntus oculōs aperit.
Iūlius eum oculōs aperīre videt. 120

Iūlius: “Ecce oculōs aperit: ergō vīvus est.”

Mārcus et Iūlia Quīntum vīvum esse vident. Puer
autem ambulāre nōn potest, neque enim pedēs eum
sustinēre possunt; ergō necesse est eum portāre. Quīntus
Iūliō in vīllam portātur et in lectō pōnitur. 125

Aemilia fīlium suum ā Iūliō portārī videt, et
interrogat: “Cūr puer ipse ambulāre nōn potest?”

Iūlius: “Quīntus ambulāre nōn potest, quod nōn est
avis neque ālās habet! Quī volāre vult neque potest, ad
terram cadit!” 130


Aemilia Quīntum ā Iūliō in lectō pōnī aspīcit.

PROGYMNASMA EXIMIO MAGISTRO IOHANNI ØRBERGIO SACRVM

auctore Iosepho Maria Maestre Maestre

CAPITVLVM DECIMVM

CAP. X



FAMILIA RŌMĀNA

Iūlius pater	∞	Aemilia māter
Mārcus filius	Quintus filius	Iūlia filia

I Mārcus interrogat: “Quot sunt illī quī in Hispāniā Latīnē loquuntur?”

Quīntus: “Vix paucī, sed māior Hispānōrum pars nōn solum Latīnam linguam ignōrat, sed etiam despicit. Et in
5 gymnasiīs et praesertim in ūniversitātibus Hispānī Latīnae linguae magistrī semper illud clāmant: “Latīnē loquī corrumpit ipsam Latīnitātem!”

“Quā dē causā hoc accidit?” Mārcus rursus quaerit.

Iūlius: “Rāmus quī apud Hispānōs linguam Latīnam in
10 scientiārum arbore sustinet nōn crassus, sed tenuis est. Rāmus tenuis Latīnam linguam sustinēre nōn potest: ea enim disciplīna in Hispāniā, nōminum dēclīnātiōnibus, verbōrum coniugātiōnibus et aliīs grammaticae partibus referta, crassa est.”

15 Dum Mārcus et Quīntus haec dīcunt, ecce rāmus cum linguā Latīnā dē scientiārum arbore ad terram cadit. Et simul omnēs gymnasiī et Hispānae ūniversitātēs magnō fragōre ruunt.


Vbī est Hispānia?
Hispānia in Eurōpā est.

-a -ā :

Hispānia ...
in Hispāniā



ūna arbor - duae arborēs
rāmus, -ī m



crassus -a -um ↔ tenuis

ruere = cadere

CAP. X



spīrāre = animam dūcere




Mārcus perterritus est

mortuus -a -um ⇔ vīvus

aperīre ⇔ claudere

Lingua Latīna ā Iūliō in
vīllam portātur
Aemilia Linguam Latīnam
ā Iūliō portārī videt



lectus

Lingua Latīna in lectō
pōnitur
Aemilia Linguam Latīnam
in lectō pōnī aspicit

Mārcus et Quīntus Latīnam linguam ad terram
cadere vident. Rīdentne Mārcus et Quīntus? Nōn rīdent. 20
Illī enim perterritī sunt. Iam lingua Latīna et gymnasiū et
Hispānae ūniversitātēs sub scientiārum arbore iacent.
Neque gymnasiū neque ūniversitātēs sē movent. Haec loca
olim tam celeberrima mortua sunt. Linguae Latīna
mortua est? Nōn est. Latīna enim lingua spīrat. Quī spīrat 25
mortuus esse nōn potest. Sed Mārcus et Quīntus linguam
Latīnam spīrāre nōn vident, neque enim anima vidērī
potest.

Quid faciunt Mārcus et Quīntus? Mārcus et Quīntus II
perterritī ad vīllam currunt et magnā vōce clāmant: “Age!
Venī, pater! 30

Iūlius puerōs vocāre audit et exit in hortum. Pater
filiōs perterritōs ad sē accurrere videt eōsque interrogat:
“Quid est, Mārce et Quīnte?”

Mārcus et Quīntus: “Lingua Latīna... est... 35
mortua!”

Iūlius: “Quid? Mortua? Ō deī bonī!”

Pater, ipse perterritus, cum Mārcō et Quīntō ad
Latīnam linguam videndam currit. Iūlia quoque accurrit
cum cane suā. Lingua Latīna oculōs aperit. Iūlius enim
oculōs aperīre videt. 40

Iūlius: “Ecce oculōs aperit: ergō vīva est.”

Mārcus et Quīntus et Iūlia linguam Latīnam vīvam
esse vident. Latīna autem lingua ambulāre nōn potest,
neque enim pedēs eam sustinēre possunt; ergō necesse est
eam portāre. Lingua Latīna ā Iūliō in vīllam portatur et in 45
lectō pōnitur.

CAP. X

III Tunc Iūlius optimum medicum arcessit. Optimus
 medicus Iohannes Ørbergius appellātur. Ille, octōginta et
 quattuor annōs nātus, tunc cāsū in Hispāniā erat. Ad
 50 Baeticam enim ex longinquīs septentrionālis Eurōpae terrīs,
 longum iter fēcerat, ut in celebrī medicōrum conventū ā
 quibusdam [Antōniō et Aemiliō](#) convocātō orātiōnem habēret.



Cum ad Iūlii vīllam venīret et Latīnam linguam tam
 aegram vidēret, Iohannes Ørbergius dixit: “Iūli, nē sit tibi ulla
 cūra. Linguam Latīnam in Hispāniā ambulāre rursus vidēbis.
 55 Sed hoc tantum optimā medicīnā faciet.”

“Quae medicīna est illa?” quaerit Iūlius.

“Medicīna dē quā loquor” -respondet tunc Iohannes
 Ørbergius- “optima Latīnam linguam docendī methodus est.
 Lingua Latīna tantum bene discī potest, ut cēterae omnēs
 60 linguae hodiernae. Sī Hispānī magistrī hāc methodō Latīnam
 linguam doceant, lingua Latīna nec crassa erit neque unquam
 dē scientiārum arbore cadet, sed habēbit ālās et per caelōs
 semper volābit”.



orbis terrārum

sānus, -a, -um ⇔ aeger,
 -gra, -grum

medicus, -ī m.
 medicīna, -ae f



methodus, -ī f = ratiō, via



IOSEPHVS MARIA MAESTRE MAESTRE DIXIT